



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus de Conscientia, de Legibus, de Peccatis, de Virtutibus
Theologicis, de Religione, & Beneficiis. Adjunctis in hac editione
Propositionibus ad hanc usque proscriptis

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, 1734

VD18 90392140

Q. 2. Quandonam Lex humana obligat sub mortali culpâ?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40986

hibitum lege divina naturali. At violans præceptum legislatoris in re gravi, violat graviter jus illius, nempe jus, quod habet exigendi per legem suam aliquid grave, & quo re ipsâ illud graviter exigit. Ergo. Adde: quòd potestas obligandi in conscientia sub mortali sit necessaria ad rectam gubernationem, & efficaciam legum; alioquin innumeræ essent transgressiones occultæ; nec finis legis satis obtineri posset.

Nota Obligare in conscientia est imponere necessitatem agendi, vel omittendi aliquid ad vitandam culpam, & offensam Dei. Obligatio verò in conscientia est talis necessitas.

Q. 2. Quando nam Lex humana obligat sub mortali culpa?

Resp. I. Ex communi ad hoc requiritur materia gravis. Quia 1. potestas humana est limitata, & commensurata exigentiæ, ac capacitati materiæ. 2. Obligare graviter in re ex omni parte levi est contra rectam rationem, bonum commune, & convenientem gubernationem, & in perniciem animarum, imò est injustum: nulla autem est potestas à Deo data hominibus, nisi ad ædificationem, non in destructionem. 3. Lex divina naturalis, & positiva nunquam obligat sub mortali in materia

teria levi sub omni respectu. Item secundum multos requiritur intentio Superioris graviter obligandi, seu exigendi graviter, hoc est, ex tota sua potestate, id quod statuit: quia Superior potest in materia gravi obligare tantum sub veniali. Non tamen requiritur, ut Superior expressè intendat obligare sub mortali. Sed satis est, quòd intendat uti sua tota potestate, & graviter exigat aliquid grave, licet ignoret, quid sit obligatio sub peccato: cum enim potestas Superioris sit à Deo, & Deus jubeat, ut subditi ei pareant, posita gravitate præcepti humani, hoc ipso oritur obligatio gravis, adeoque sub mortali.

Resp. II. Lex obligat sub mortali quoties materia est gravis, & Legislatores absolute præcipit, vel vetat, nec expressè significat, se velle solum obligare sub veniali. Ita omnes. ex Clement. 1. *De verb. signif.* quia tunc Superior potestate præcipiendi utitur sine limitatione, & secundum materiam capacitatem, cui censetur se accommodare. Nisi oppositum declaret: & sic imponit præceptum grave, ideoque graviter obligans.

Cæterum ad gravitatem materiam legis duo requiruntur, & sufficiunt. 1. Ut finis proximus legis, seu id quod proximè intenditur per legem, sit magni momenti. 2. Ut id, quod statuitur, non parum ad illum finem conferat, quamvis sit aliquid in se

leve; sic comestio pomi in paradiso, licet de se levis, tamen erat gravis ratione finis à Deo intenti, nempe ut homo suam subjectionem, & dependentiam à Deo profiteretur. Sic etiam ingressus viri in claustrum Monialium est materia gravis, quia ejus omissio multum confert ad gravia mala avertenda.

Resp. III. Gravitas materiae, & intentio Superioris sufficiens ad obligandum sub mortali cognosci possunt. 1. Ex gravitate verborum, quibus utitur Superior, ut v. g. cum præcipit, vel vetat aliquid sub interminatione divini judicii, vel in virtute obedientiae, vel ex tota sua potestate, &c. Nam gravissima verba non adhibentur à prudenti Superiore, nisi circa materiam gravem, & ad significandam gravem obligationem. Item dum significat se vel se obligare sub gravi culpa. 2. Ex gravitate poenae transgressoribus impositae, qualis est excommunicatio, poena mortis, exilii, carceris perpetui, &c. Nam gravis poena non imponitur justè, nisi pro gravi culpa, quae supponit gravem obligationem præcepti violati. 3. Ex communi prudentum judicio, vel ex consuetudine, quae est optima legum interpret c. 8. de *Consuet.*